posuerimus quod causa levis et gravis est vacuum et plenum contingit necessario ut leve sit purum vacuum et grave purum plenum non compositum ex gravi et levi. Et quod est compositum ex eis, si fuerit leve propter habundantiam vacui, possibile est quia vincit terminus, scilicet illud in quo magis habundat vacuum. Et similiter de gravi. Et sicut erit hic neque grave simpliciter neque leve simpliciter et cum extrema non sunt, ergo neque media. Hec igitur contradictio est universalis omnibus opinionibus in gravi et levi. Et ideo dixit quod iste opiniones contingunt dicentibus elementa esse indivisibilia et dicentibus vacuum esse et plenum. Deinde incepit declarare quod contingit eis et quia impossibile contingit eis propter naturam gravis et levis simpliciter et singulariter nisi ea fecerit de hoc rememorationem et dixit ita quod materia eorum fuerit una ut componentes etc., id est ita quod impossibilia contingentia ex hoc modo contingunt dicentibus naturam eorum eiusdem nature sicut contingunt ponentibus aliam eorum contrariam, scilicet vacuum et plenum. Et dixit hoc sonat similiter quia hec impossibilia magis apparet contingere ponentibus materiam esse unam quam ponentibus illam esse contrariam. Et quasi dicit itaque hec impossibilia tamen contingunt eis quod etiam contingunt ponentibus materiam eorum esse contrariam. Et hoc impossibile contingit eis quia posuit utrumque eorum ex illis duabus naturis insimul. [illegible] nec sunt ea que sunt ex illis contrariis, scilicet quia cum aliqua duo fuerint contraria utrumque eorum erit ex eodem contrario alio ex quibus alterum contrarium componitur. Cum autem fuerint duo quorum utrumque componitur ex eisdem contrariis, tunc non erunt contraria et hec est dispositio compositis utrumque levis et gravis ex vacuo et pleno insimul. Et cum dixit quod hoc impossibile contingit propter naturam gravis et levis simpliciter ponentibus causas eorum esse levitatem et plena gravitatem sicut contingit ponentibus ea eiusdem nature, dixit quod aliter contingit hoc impossibile dicentibus vacuum esse et plenum et dixit: tunc enim [illegible] gravitatem et levitatem et ea que sunt inter grave et leve etc., id est impossibile est dicentibus hunc sermonem dare causam propter quam quedam corpora sunt gravia simpliciter et quedam levia et quedam media inter duo extrema, quare igitur dixit impossibile est etiam in gravibus simpliciter et in eis que sunt inter ea dicere quare sunt leviora et graviora aliis que sunt simpliciter et quare ea que sunt simpliciter sunt contraria in fine. Nos autem iam perduximus sermonem quod hoc contingit perfecte et unde estimatur esse contingens.

magnitudinem autem et parvitatem.

Ponentes autem magnitudinem et parvitatem corporis esse causam levitatis et gravitatis dixerunt hec sine ratione, sed tamen propinqui sunt ad verum magis quam illi priores. Dicunt enim quod quatuor elementa levia aut gravia secundum magnitudinem et subtilitatem. Et contingit dicentibus unde esse dicunt tantum hoc differre secundum subtilitatem et spissitudinem, id est quod contingit facientibus materiam corporum esse unam. Et ut dicatur quod nichil est grave simpliciter aut leve simpliciter. Et quod non movetur ad superius aut ad inferius per se, sed aut secundum expulsionem ex superiori et sic descendit ad superius aut secundum constrictionem ex inferiori et sic ascendit ad superius. Et ut plura subtilia sunt graviora paucum grossis contingit ex hoc sermone ut aer et ignis multi sint graviores aqua et terra paucis.

Antiqui autem opinabantur in elementis diversimode. Quidam enim eorum dixerunt quod quodlibet eorum est simplex non compositum et quod ea sunt elementa compositorum ut Empedocles et sui sequaces. Quidam autem dixerunt quod unum tantum eorum est elementum, alia autem componuntur ex illo

License: cc-by-nc-sa – Scherpenheuvel-Zichem, Abdij der Norbertijnen van Averbode, Archief, Sectie IV, hs. 417, 45, fol. [28]v – Aristoteles, <i>De caelo</i>, with commentary by Averroes (https://fragmentarium.ms/view/page/F-tq1r/9563/70270)